2
28
34-5-B-9

CAESARIS OTTINELLI FIRMANI

Art. Philoſ. Iur. V. Doctoris

DE *CVRANDA PORRIGINE.*

Coll. Rom. Soc. Jesu Catal. Inscript. B. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE Apud Alexandrum ...

CAESAR OTTINELLVS Franciſco Ottinello Fratri Germano S.

QVOD tam vehementer dum Firmi eſſemus expoſtulaſti, vt meam de Porrigine curanda lucrubatio nem mitterem, tulimus libenter, & agnouimus aſsiduam tuam ſtu diorum cupiditatem. Nihil enim mihi iucundius accidere poteſt, quàm quòd ſi detur, vt te quotidie operæ, ac induſtriæ plus in litteris ponere cognoſcam. Nihil igitur mihi antiquius fuit; cum Romam me receperim, quàm vt tuo deſiderio ſatisfacerem. Vide quanti apud me ſis, vt quod à me ipſo numquam obtinere potui, tu quidē, uix dici poteſt, quàm facillime impetraueris, quòd nūquam antea in animum inducere potui, vt lucubrationem hanc de Porrigine in lucem prodere concederem. Quòd ſi olim ſcribēdi materia à viro ornatiſsimo Ioanne Baptiſta Raimūdo nobis data fuit, edēdi hoc tempore occaſio tuo deſiderio erit penitus tribuenda, atque adſcribenda. Quò fit vt meus erga te fraternus amor vndique pateat, cum quod multorum conſilia, & cohortationes antea nunquam perſuaſerint tibi denegari non potuerim. Tu verò pro tua

*prudentia cogitare debes nouam quandam hu-
iuſce meæ lucubrationis tutelam,ſeu cauſam mi
nime quidem à calumniatorũ concertationibus
expeditam tibi ſuſcipiendam eſſe,vt Romæ illa
Ioannem Baptiſtam Raymũdum patronum cum
habeat;tuũ patrocinium iſtic ne deſideretur, ca-
ueas. Ita bene mihi cõſultũ fore iudicabo. Quod
vt commodius præſtare poſſis mi frater,curſum,
quem cœpiſti toto pectore retineas,& omnem ope
ram,ſtudium,induſtriam,diligentiam tuam col
locabis in litteris, ex quibus fructũ vberrimum,
ſummam vtilitatem,commoda,copias,ac optima
quæque percepturus,& conſequuturus eris. Sem
per mihi crede , litteræ vſui tibi erunt, & fru-
ctum pariter , ac voluptatem in vniuerſo vitæ
tuæ curſu afferent. Iamdiu profectò cognitum ,
perſpectumq; licet mihi ſit, te in litterarum ſtu-
diis freno potius , quàm calcaribus egere ; fa-
cere tamen non poſſum , quin auctor tibi ſim ,
vt in iuriſprudentiæ ſtudia toto animo in-
cumbas , in quibus te multum iam proficiſ-
ſe , & cognoui , & expertus ſum , vt ſine
dubio egregiam expectationem , quam de te
concitaſti , ſtudiorum tuorum euentus non ſo-
lum præclarè ſubſtinere , ſed ſuperare facile
poſſit. In manibus itaque Iuriſconſultorum
reſponſa, ac ſcripta ſemper habebis: memoria il-
lud Theodoſii retinebis, multum inſudandum*

ei, qui gloriam, & laudē conſequi cōtendit: animo vero comprehendes perpetuò Euripidis illud in Hypol. τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει. *Pytagoras ſuos ad difficillimum viuendi genus cohortabatur, quòd vſu futurum eſſet iucundiſsimum. Anus quædam, vt eſt apud Phauorinum vitulum ita ferre vſu aſſequuta fuit, vt bouem poſtea in humeros extollere non dubitauerit. Nicias tam erat aſsiduus, vt ſæpe an lauiſſet, an pranſus eſſet, famulos interrogaret. Demoſthenes interrogatus quanam ratione dicendi artem conſequutus eſſet, quod olei plus dixit, quàm vini conſumpſiſſet. Demades rogatus quo præceptore vſus eſſet, Tribunali reſpondit, Athenienſium. Tu vero mi frater vtere STVDIO FIRMANO XYSTI V. PONT. MAX. benignitate reſtituto; vt ad Tribunalia aliquando honorificentiſsime accedere poſſis. Non enim tibi Platonis, & aliorum exemplo longa, & ardua itinera ſapientiæ amore erunt ſuſcipienda. Nobis quidem multa incommoda, ac pericula ſubeunda fuere dum Patauij ſtudiorum cauſa eſſemus turbulentiſſimis illis Peſtis temporibus, vt quid vis potius quàm de litteris cogitandum eſſet. Tu quidem rectè apud Græcos receptū ſermone prouerbiū in ore habere poteris:* οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. *Pluribus præter meam opinionem*

quàm opus eſſet, ſed dabis hoc amori erga te meo, cum amori tuo tantum detulerim, vt hanc meã de Porrigine curanda lucubrationem ad te peruenire facile patiar. Vale, & me, vt facis, ama.

Romæ Idib. Decembris
M.D.LXXXV.

DE

DE PORRIGINE CVRANDA.

Ioanni Baptiſtæ Raimundo I. C. peritiſſimo, & cauſarum patrono optimo

Cæſar Ottinellus S.

VIDE quid ſumpſerim, iuriſprudẽtiæ ſacris initiatus omnem operam, laborem, ſtudiũ, induſtriam iuris ſcientiæ cum dedicarim penitus, vt tua cauſa cogar ex medicina quædam reguſtare, & rem omnino intermiſſam repetere. Equidẽ anteactæ vitæ curriculi partem in varijs artibus, & diſciplinis me cõſumpſiſſe, nec inficior, nec profiteor; at hoc quidem tempore vela in vaſto iuris pelago audacter pandimus eo animo, vt niſi turbulentis temporibus, aduerſis procellis, & fluctibus ad τῶν διδασκαλῶν διανοητικῶν tutos illos, atque clauſos, tranquilloſque portus, coactus confugerem. Sed vt de Porrigine curanda ad

te aliquid ſcriberem, nihil aliud profectò excitauit, quàm quòd nihil mihi in amicitia antiquius, quàm amicum quacunque ratione iuuare; & vt monet Terentius Heautontimorum. act. 4. ſcen. 3. videre vt amici res ſit in tuto. Ita quidem vt Zamolxidis illud apud Plat. iu Charmid. memoria ſemper teneã, *ὅτι ὥσπερ ὀφθαλμοὺς ἄνευ κεφαλῆς οὐδ' εἶ ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι, οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς.*

Cum igitur te, & ingenio perexcellenti, & moribus ſuauiſſimis ornatum cognouerim, de Porrigine, quia de ea ſæpius ſermonem habuimus, & te male affici perſpexi ex medicis mittere aliquid decreui; vt te ſi qua poſſem induſtria ab eiuſmodi moleſtia liberarem; tum etiam vt cognoſceres me tui eſſe vndique ſtudioſiſſimum. Quid? prę auribus obſtrepere iam ſentio illud. He ſutor vltra crepidam. Vocem agnoſcimus, quia ſępius ſubiuimus, eorum ſcilicet, qui cum Homeri catenam numquam viderint, & vna cum litteris voluptatis, ac commoditatis genus omne coniungere velint, & agant, in eam ſententiam iuerunt, vt in pluribus diſciplinis operam ſuam vnumqnémque honeſtè ponere poſſe non putent. De qua quidem opinione

ſæpe ſæpius diſceptauimus & alibi acturi ſumus. Per me liceat ijs quicquid velint aſſerere. Videant tamen ne dum iudices eſſe volunt in re,& cauſa propria iudicent, & incidant in l. fin. ff. de extraord. cognit. l. vnica. C. ne iud. in cauſ. prop. cap. iudicare, 11. q. 3. aut ſaltem caueant ne male iudicent, & litis ęſtimationem, bonorum amiſſionem, ac infamiam ſubire cogãtur ex §.fin. Auth. vt litigatores collat. *9.* c. 1. de ſent. & re iud. in *6.* Sed vt ad rem accedamus huiuſmodi malam capitis, corporiſque quandoque totius affectionem extare ſi probarem, plane riſum excitarem, non aliter ac ſi naturam oſtendere uellem ex Ariſtot. 2. phyſ. tex. *6.*

Quid igitnr ſit mi Ioannes Baptiſta accipe ex Alexandro Tralliano lib. 1. cap. 4. qui inquit eſſe, ubi ex capitis ſuperficie, ſiue ex reliquo corpore ſine exulceratione, ut plurimum corpuſcula quædam exilia, ac furfuracea excidunt. Paulo preſſius Actuarius lib. 2. meth. cap. 5. ait eſſe ſoboles praui humoris, qui ſurſum fertur, & per capitis cutem diſcutitur. Nam ſi quis caput perfricet, ſtatim ſquamulas, ac ueluti furfures tenues excidẽtes facile cernere poteſt. Quare undique, & ſummopere no-

cent. Recentiores, qui quemadmodũ verbis ſępe, ita re, & præſtantia ab illis priſcis medicis longe diſtant, furfures nominant, Gręci πιτυρίασιν vocant. Sed Plin. lib. 20. nat.hiſt.c.9.& 15. Corn.Celſus lib.6.c.2.& Q. Serenus Porriginem appellant. Et Celſus ait ſquamulas illas ſurgere in capillo modo cum malo, modo ſine vllo odore; fieriq́ue ferè in capillo, rarius in barba, aliquando etiam in ſupercilio. Differunt quidẽ πιτυρίασις & φθειρίασις inter ſe, quod hęc in ima, illa in ſublimi cutis parte emanat.

Vtriuſque curationem diligenter adhibendam monet Actuarius, quia oculorum, aurium, dentium, & proximarum partium mala inde proficiſcantur; tum quia moleſtię plurimum inſit, vt inquit Serenus.

Eſt inſenſibilis morbus ſed noxia forma.
Cum caput immẽſa pexũ porrigine ningit,
Copia farris vti frangentibus edita ſaxis.

Quid igitur ſit Porrigo vel ex his Sereni verſibus cognoſci tantum poteſt, & ad eius cauſas explicandas accedamus. Oritur Porrigo ex male affectis, & prauis humoribus, ex ſententia Oribaſij lib. 8. Synops. cap. 25. Aetij lib. 6. cap. 66. Paul. Aegin. lib. 3. cap. 3. & aliorum. Humores enim, vt inquit Trullianus lib. 1. cap. 4.

vitioſi, & corruptę pituitæ ſalſæ, bilioſę, & ſanguinis melancolici ſurſum euecti huiuſmodi moleſtiam pariunt.

Quare fit, vt omnis curandi ratio ad humores ſeroſos arcẽdos, atque abſumendos ſpectare debeat vt docet Galenus lib. 1. de comp. med. ſecundũ locos cap. 6. & Aetius lib. 6. cap. 66. Victus itaque ratio ex Archigenis ſententia ita inſtitueuda erit, vt nec bilioſos, nec ſeroſos, vel vitioſos gignere humores poſſit. Quæ eduntur boni debent eſſe ſucci, & quæ facile conquoqui, ac digeri queant. Nec quidem ad rem ſunt cibi flatum gingentes, & craſſo, atque pingui humore conſtantes, ut ſunt tubera, fungi, bulbi, legumina, carnes præſertim bubalinæ. Condimentum ſit mel, cuminum, apium, fæniculum, alijs præſertim bellarijs parcè vtare. Vinum tenue, & album conuenit, nec non iucunditatis gratia dulce, ac mulſum concedi poteſt. Ante cibum vuã arefactam, ficus, amigdalas virides; poſt fercula malum punicum edas. Sed quia bonę digeſtionis ſemper diligens eſt habenda ratio deambulationes lenæ, plurimæq. mane, ac veſperi optimæ cenſentur. Caput ſi aqua calida ablueris, caue deinde ne multum aeris ſubeas; ſub ſole diutius non mo-

raberis, ac frigus etiam euitabis. Iram, indignationem, triſtitiam, cæteraſq; ani-animi perturbationes ſubterfugere ſtudebis. Dormire ad ſatietatem vſque, prodeſſe dixerunt veteres, quod quidem anprobem, neſcio. Nam ſomnũ humiditatem plurimã gingere conuenit apud Medicos omnes, & humiditatem putredinis cauſã ſtatuũt Galenus, & Ariſtoteles, vnà cũ cæteris, & medicis, & philoſophis. Sed defendi poſſet veterũ quoque ſententia.

Medicamentorum genera, quibus vniuerſum corpus purgatur, cum non egeas, vnà cum Antyllo apud Aet. lib. 3. cap. 23. adhibẽda conſulere nõ poſſum. Sed quædam remedia potiſſimum afferam, ita quidem vt primo loco firmum ſemper ſit: medicameuta omnia, quæ di cutiendi, ac abſtergendi facultate præſtãt, in hoc morbo vſui ſemper eſſe intelligas. Sũt qui his abſtringentia addere velint, nõ alio conſilio, quàm quòd per ea corporis affecta particu la corroboretur, nè in ſe ipsã influẽtes ſeroſos humores recipiat, ſed reſiſtat, atq; repellat. Multa eius generis ſeſe mihi offerũt ſed ne multitudine, ac varietate curationẽ impediã, vno faſciculo multa cõplectar.

loco vtimur bolo armeno,cũ betæ ſucco, & fœni græci. Faba cum cortice, & betæ ſucco. Amigdalæ amarę decorticatæ cum aqua,& aceto affricatę; cumq; exaruerint capilli aqua calida abluendi ſunt. Malua ſylueſtris,quam Altheam vocant, in aqua marina donec decima pars relicta fuerit, cocta. Oleum laurinũ,& amigdalinum ex Act. lib.5. meth. c.10. Menta ſylueſtris cũ aceto capiti infuſa in ſolis radijs ex Plin. nat.hiſt.lib.20.c.14. Furfures cũ oleo. Ocymum ſylueſtre cũ adipe anſerino. Bolum armenũ,thus,ſtaphis agria,ſcilla, vel horũ alterũ cum betę ſucco,vel muria,aut decocto lupinorũ,ſeu radicis cucumeris ſylueſtris; deinde caput abluendũ eſt lixiuio cinere fraxineo confecto, & admixto felle ouino,vel bubalino. Argenti ſpumæ, olei rutacei, aceti ęquas partes accipias,& inungas,quod quidẽ ſummopere comendat Aetius lib.6.c.66. Nitri ſpumę,atramenti ſutorij, calchantũ gręci vocant, cum vino æquæ partes adhibitæ ter, aut quater in menſe,ita cõferunt auctore Archigene,vt nullo alio opus ſit remedio. Sed accipe, quod in mentem venit, Poetæ dictũ,quod cũ ad rẽ facere videatur pretermittere nõ poſſũ. Horatius ...

Vngere ſi cauleis oleo meliore, caputq́.
Cæperis impexa fœdum porrigine.

Multa equidem remedia, & alleuiamenta attuli non eo quidem conſilio, vt omnia tentanda exiſtimarem, & tibi auctor eſſem, ſed vt tuo arbitratu, pro tua commoditate vnum, aut alterum cum adhibueris cum Q. Sereno canere poſſis.

Deſinet interea glomerari ferrea nubes,
Ceſſabitq́. grauis crebræ porriginis imber.

Hæc habui mi Ioannes Baptiſta, quę de Porriginis curatione Tralliani exemplo συντόμως ſcriberem, magis fortaſſe, quàm res ipſa pateretur, aut mea erga te beneuolentia poſtularet. Sed ſi laborem noſtrum gratum tibi accidiſſe intellexero, ſatis mihi quidem ad patefaciendum, ſignificādumq; meum erga te animū fuiſſe videbitur. Vale.